

# TRIBUNAL CONFESSARIORUM ET ORDINANDORUM

DECLINATO PROBABILISMO;

COMPLECTENS STYLO BREVI, CLARA, AC FIRMA  
Sententia, omnes usitatores materias Theologico-morales juxta  
probabiliora, ac inconcussa Dogmata Angelici, ac Quinti Ec-  
clesiæ Doctoris, D. Thomæ Aquinatis Ord. Præd.  
ejusque invictissimæ Scholæ,

SERVIENTES

OMNIBUS THEOLOGIS MORALIBUS, POTISSIMUM IIS, QUI  
sive præsummarum cura, aut Ordinibus susceptoribus, sive pro imponenda Bencedi-  
ctia Moralis studio coronæ, vel defendendis Thezibus moralibus, methodo Theo-  
logica arguere, examinare, aut responsa dare cupiunt. Ipsi etiam peni-  
tentibus, casualibus, ac conditionibus, periculis,

OPERA, AC STUDIO P. P. MARTINUS VIGENT ORD. PRÆD.  
*Sacrae Theologiæ Magistri, ejusdemque in celeberrima, & antiquissima Universitate  
Viennensi Doctoris, ac quondam studii Generalis in Conventu  
Primi Moderatoris, seu Regentis.*

QUARTA EDITIO.

CÆTERIS AUCTION, ET CORRECTION.

PRIMA PARS

CONFINENS DECEM TRACTATUS IN QUADRAGINTA ET  
*octo Examina dissentos.*

IN SECUNDA

INVENIES SEX TRACTATUS ET TRIGINTA ET OCTO EXAMINA, IN QUIBUS TOTVM  
Opus absolvit Auctor; cui insuper pro Hispanorum maiori utilitate addicitur Tractatus Bullæ Cru-  
ciatæ, cum Appendice Notarum pro clariori intellectu aliquarum præfati Auctoris Sententiarum;  
una cum exactissima Explicatione Propositionum damnatarum, necnon  
Indice Alphabetico locupletissimo.

Valenciæ, apud ANTONIUM BORDAZAR, Anno 1711.



SANCTO SANCTORUM,  
SACERDOTI IN ÆTERNUM,  
VERBO INCARNATO

*Se, & verba sua Auctor consecrat.*



SANCTE Sanctorum, Sacerdos æterne, Ju-  
dex Supreme; VERBUM CARO FA-  
CTUM; Benignis auribus percipe verba  
mea, quibus Sacerdotum tuorum TRI-  
BUNAL ex sua infinitate, inaccessibili  
adrepit, seque humillimè substernit MA-  
JESTATIS TUÆ Solio. Felicitatem et-  
enim quærit in suo principio, & centro.  
Redit ad fontem, unde exivit. Ex alieno liberalis; quod tuum  
est, TIBI tribuo. Verba, quæ, & quot amplectitur, tua sunt, qui  
es Dux omnis Verbi. Doctrina mea, quæ in eis est, non est  
mea, sed est illius VERBI, quòd è Crucis pulpito paucis verbis,  
BENE SCRIPSISTI DE ME, THOMA, omnia THOMÆ  
AQUINATIS verba censuravit, approbavit, justificavit. TU  
VERBUM Patris es, Thomas (Adverbium Filii) BENE tuum  
eructat Verbum bonum. Verba Thomæ à VERBO Patris pro-  
bata sunt, testimonio indefinito, ideòque universali. Ergo ab-  
sque omni prorsus errore scripsit, qui censuratur, dum nec falle-  
re, nec falli potest, qui censurat, & probat. Quidni proin TRI-  
BUNALIS hujus verba, infinitis TITULIS VERBO Patris de-  
bita, singulari sacrarem TIBI submissione? Judicium namque  
est mundi, ea propter ad Supremum appellat Judicem. TRIBU-  
NAL Confessariorum est, Tu ligandi, atque solvendi potesta-  
tem dedisti; aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit;



APPROBATIO A. RR. PP. MM. FR. SERAPHINI THOMÆ MIGUEL,  
in Universitate Valentina Sacræ Theologiæ Doctoris, Examinatoris Synodalis, &  
Valentini Prædicatorum Conventus Studiorum Regentis: ac Fr. Josephi Bono,  
Fid:ii Censoris, quondam ejusdem Conventus Studiorum  
Moderatoris, atque Examinatoris  
Synodalis.

**J**USSU R. A. P. M. Fr. Thomæ Carrater, hujus Aragonum Prædicatorum Pro-  
vinciæ Provincialis, Opus Theologicum legitimum, cui titulus est: *Tribunal*  
*Confessariorum, & Ordinandorum, declinato Probabilismo*; elaboratum ab  
A. R. P. M. Fr. Martino VVigandr, in Universitate Viennensi Theologiæ,  
Doctore, & in Prædicatorum Conventu, ejusdem Urbis, Studiorum Regente.  
Commisâ est nobis tanti Operis Censura, postquam semel, & iterum eulum &  
in diversas Europæ partes vulgatum, generalem acceptationem, ac plausum pro-  
meruit, eo quod R. P. Fr. Josepho Trublet, hujus almi Prædicatorum Valentini  
Conventus alumno per Hispaniam divulgare nova, & politiore editione cordi  
fuerit, illudque, nullis expensis parcens, nitidioribus caractèribus prodire sa-  
tegerit, mendis fere innumeris quibus præcedens Veneta (licet nova) scateret  
editio, penitus eliminatis: quod in votis zelo religioso, habens, infatigabili,  
sed felici studio affectus est: Insolentioribus insuper, Hispanis, vocibus in com-  
munes, & usuales, pro faciliore doctrinæ intellectu (dum opus esse judicavit) dis-  
serte commutatis, vel (adhibitis eruditis notulis) temperatis. In iis, sicuti neque  
in tota hujusce præclari Operis mole nihil non laudabile vidimus: immò omnia  
Fidei Catholicæ, purioribusque Christianæ doctrinæ canonibus apprimè con-  
sona comprobantes, laudavimus, probavimusque. Quare ut quantocyus prælo  
detur in commune animarum beneficium, judicamus & exoptamus. Doctri-  
nam siquidem saluberrimam continet, eo usque robustis sanctionibus fultam, ut  
nullis conscientiæ habenas immodicè laxantium sophismatum procellis divelli  
queat. Teratur itaque hac editione auctum illustre Opus manibus Hispano-  
rum. Quodli Auctor usque in præsens clarissimus, ab iis oris nedum exte, sed  
tot intercapedinibus dissitus, in nostrates parum de sua emerita celebritate ra-  
dios vibraverit, præ ingenti distantia (ut res mortales habent) veluti *lassa fama*:  
hac correctissima editione per Hispaniam disseminata, tanti Auctoris fulgores  
in nostram Provinciam transmigrasse videbuntur, dum in hoc Opere corpus quasi  
solare conspicabitur, ceu diluvium luminum Thomam advehens solem: His re-  
spargatur Hesperia tota æquum esse, necnon utilissimum arbitramur. Salvo sem-  
per, &c. in hoc Regio Valentino Prædicatorum Conventu, die 16. Augusti  
anno 1711.

Fr. Seraphinus Thomas Miguel,  
Sac. Theolog. Magist.

Fr. Josephus Bono,  
Sac. Theol. Magist.



# TRACTATUS I.

## ET PROOEMIALIS,

### *De Requisitis in Confessario.*



ULLA est disciplina, vel ars, etiam illiberalis, ac mechanica; cujus in Magistrum antequam quis creetur, non sit Candidato subeundum examen; vel opere ipso, sive artefacto comprobandum, quod eos in arte fecerit progressus, ut Magistrorum Catalogo possit merito accenseri: *Nam sunt plerique* (ait S. Greg. in Prolog. Pastor.) *qui dum metiri se nesciunt, quae non didicerunt, docere concupiscunt: qui pondus Magisterii tanto levius aestimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant.* Et his

va! & vel maximè Væ illis, qui se, inscitiamque suam metiri nesciunt, cum qua animarum cure, muneri, angelicis etiam humeris formidando, se accingunt, sepè quò stupidiore, eò ad id promptiores: quæstui temporali interdum magis, quam spiritali inhiantes. Hinc non mirum, quò animarum Cura applicandi prius citentur ad Tribunal, rigidè examinandi, an Magisterio digni, inque aliorum Doctores, ac Judices sint creandi, necne. Pro quorum eruditione, sit

## EXAMEN UNICUM,

*De Examine, Potestate, Virtutibus, Scientia, Officio, & obligatione Confessarii.*

*De quibus Angelicus Doctor agit partim in Supplemento, 3. part. quæst. 8. & 18. & 19. partim extra Summam in Opusc. 64. & 65. de Officio Sacerdotis, & cautela in Confessione habenda, ac de modo confitendi, compositis.*

**Q**UÆRO I. Ad Curam animarum aspirans, tenerisne te prius siltere examini, in quo tenteris, ac judiceris, an ad arduum, & tremendum hoc officium sis aptus, necne?

**I.** *Respondeo.* Tutissimè, & probabilissimè verbis Concilii Trid. sess. 23. c. 15. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullam, etiam*